



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Roma Sancta sive Benedicti XIII. Pontificis Maximi &  
Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E.  
Cardinalium Viva Virtutum Imago Æri & literis in  
perennaturam Virtutum memoriam incisa**

**Conlin, Johann Rudolph**


**Augustæ Vindelicorum, Anno MDCCXXVI**

**VD18 10209328**

No. LXII. Carolvs De Marinis Januensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72633](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72633)



No. LXII.

## CAROLVS DE MARINIS JANUENSIS.

**C**arolus S. Mariæ de Aquiro Cardinalis de Marinis Januensis natus est anno 1667, die 16. Martii ex Nobilissimâ Marinorum in Urbe Januensi Familiâ. Is Florentissimam Januam nova felicitate beare visus, quæ cum conditorem Janum agnoscat, aurea iterum saecula vivit, cum præter Innocentium IV. & VIII. Adrianum V. Sixtum IV. & Julium VIII. Sacrae Romanæ Ecclesiæ Candinales Dorias, Spinolas, Fliscos, Imperiales, Marinos, Justinianos, Grimaldos, Fulgosios, Pallavicinos, Pasquas, Lomelinos, Pinellos, Saulios Cybos, celeberrima planè Orthodoxi Orbis Lumina, progenuerit, qui Patriæ Suæ felicitatem instaurârunt. Sit Genua superba, & ædificiorum splendore magnifica; parùm hoc esset, nisi magnæ animæ vastum hoc corpus insiderent. Floribus & fructibus abundet, iisque planè cum admiratione exterorum turgescat; sed plus admiramur prorsus egregios hortulanos, qui, ut ne in Ecclesiæ horto (ubi messis multa,) operarii pauci existant, Pastorali & solertissimâ curâ suâ efficiunt. Planè Eminentissimus Purpuratus de Marinis, consummatæ Virtutis Dynasta, inclytam Januensem gloriam multum promovet. Sub Alexandro VIII. & Innocentio XII. Cameræ Apostolicæ Generalem Auditorem agebat. Cum quidem sub Alexandre VIII. gravissimum bellum, ab Imperatore Leopoldo adversus Ottomannos in Hungaria gestum, Sedì Apostolicæ magni staret, Carolus de Marinis omne studium in id impendebat, ut milite, pecuniis, & reliquo belli instrumento pia Austria adjuvaretur. Sub Innocentio XII. itidem largissimus Auri imber in Hungariam desuebat; & hoc solatii Sacra Roma percipiebat, quod suos thesauros nunquam majori lucro impendisse visa fuerit; nam invictissimus heros Eugenius, Turcis profligandis natus princeps, propè Zentam, Tibisco fluvio adjacentem, tam nobilem victoriam Anno 1697. ab hostibus reportaverat, ut viginti & duo eorum millia cæsa in acie numerarentur, præter alia quindecim millia, quos ponte rupto, Tibiscus rapax, secum aufferebat. Ex cæsareis non plures quadringentis desiderabantur; tantulo impendio ingens victoria steterat. Ea victoria Cæsari Hungariam, Venetis Peloponесum, & Polonis Caminijecium fortissimum Limitaneum adversus Turcas propugnaculum, in manus dabat. Clemente XI. Regimini admoto, Pontificii cubiculi præfectura Carolo de Marinis conferebatur. Multum Sanctissimus Pater candido Viri ingenio delectabatur. Planè jurisperi-  
tissimus in gravissimis quibusque Sacrae Reipublicæ causis, ad consilium ab eo advocabatur, ubi mentis suæ sensum tam candide denudare consueverat, ut nihil illo sincerius visum. Hinc Pontificis in eum favor magis magisque incre-  
bat;

Yy 2

bat, & priusquam in Lusitaniam Michaël Angelus de Comitibus Pontificius Nuntius iret, Carolum de Marinis ad eam Nuntiaturam multorum spes destinabat. Sed Pontifex Clemens Cubiculi sui Præfectum, quem sincerè amabat, & inter familiarissimos habebat, penesse retinere statuerat. Enimvero toto Præfecturæ suæ tempore Optimo Principi prudentibus consiliis assistebat. Ad Bullam Unigenitus promulgandam, religiosissimo Zelo suo multum conferebat. Nec minus in Patriæ Suæ litibus, cum Sede Pontificia terminandis totus erat. Ad ea negotia feliciter pertractanda, Jurisprudentiæ eximum studium Viro docto filum præbebat. Noverit se dignissimum Posterum Dominici Antonii de Marinis, qui in Jurisprudentiæ nobilissimo studio tam eximus erat, ut pene omnes illius temporis jurisperitos post se relinquenter. Funerabatur Lux illa Legum Civilium Anno 1666. Sed non unâ efferebantur ingenii sui partus; nam hodiecum exstant, & in doctorum manibus versantur Resolutionum thomus I. & II. &c. Alius etiam ex nobilissimâ hac Marinorum Familiâ in Sæculo XIII. Januæ Philosophiæ scientia nobilis florebat; is etiam, ne sua una secum philosophia tumularetur, insignem librum de confusione linguarum, & librum de secretis naturæ relinquebat. Nec minus Carolus de Marinis utrumque Studium Philosophicum æquè ac juridicum bellissimo födere junxerat. Philosophia facem præferebat, ad vitam quam rectissimè & veræ rationi conformiter instituendam. Jurisprudentia viam monstrabat, quatenus suum cuilibet jus summa integritate administraret. Insignibus iis qualitatibus Clemens XI. permotum se sentiebat, ut Sacram Purpuram Viro, de Republicâ tam præclarè merito adjudicaret. Facta fuerat promotio Anno 1715. die 19. Maii; licet publicatio non ante diem 16. Septemboris ejusdem anni subsequeretur. Tunc quidem Pontificis de eo Oratio ea fuit.

*Creatre intendimus Carolum de Marinis, quem ut probe nō stis, in ipso Pontificatus nostri Primordio jam à decenio & ultra sub duobus prædecessoribus nostris Camera nostra Apostolica Generalem Auditorem, adeoque tamen ante quam post suppressionem venalitatis ejusmodi offici illo fungentem invenimus; inde verò post alios fere novem annos ab eo in eodem munere transactos, ad Pontificii nostri cubiculi Præfecturam, quam sex & ultra annis exercet, transtulimus.*

Ea Promulgatio facta non modò nobilissimam familiam de Marinis, verùm etiam totam Januam Purpurati Civis honore triumphabundam, in gaudium erigebat; nec minus Sacra Roma exultare vila.

Nam cùm natus Romæ, oriundus Januâ sit, Clarissimum Civem

Urbs utraque ex æquo sibi vindicat.

